

P. ANSELMUS STOLZ O. S. B.



MANUALE
THEOLOGIAE DOGMATICAE

DE ECCLESIA

CAPUT V.
DE CIVITATE DEI



CRACOVIAE 2022

www.ultramontes.pl



**MANUALE
THEOLOGIAE DOGMATICAE**

DE ECCLESIA

AUCTORE

ANSELMO STOLZ O. S. B.

Caput V.

De civitate Dei

Cum numerus fidelium in dies augetur et finis mundi, quem primi Christiani imminentem putabant, non statim adveniret, universalitas seu catholicitas Ecclesiae perfectius cognoscebatur; insuper relationes arctiores Ecclesiae ad nationes et respublicas oriebantur et natura harum relationum investigabatur. De istis duobus, de Ecclesiae universalitate seu catholicitate et de relationibus eius ad societatem civilem, sub titulo "civitatis Dei" est agendum.

1. De Ecclesiae catholicitate ⁽¹⁾

Materia proponitur per explicationem articuli Symboli: *Credo Ecclesiam catholicam*.

Non constat, quoniam tempore articulus iste Symbolo sit insertus. Notio tamen composita "Ecclesia catholica" tempore postapostolico iam occurrit et mox terminus technicus facta est.

Catholicitatem Ecclesiae intelligunt auctores moderniores multi de universalitate propagationis ad omnes populos. Ecclesia est catholica, "quoniam in omni gente, populo, natione, sexu, condicione longe lateque patet" ⁽²⁾. De hac nota iam antiqui auctores egerunt, probantes contra haereticos (praesertim S. Augustinus contra Donatistas) Ecclesiam Christi debere esse universalem, cum apostoli ad omnes gentes missi sint; unde pars haeretica Donati – sic S. Augustinus – non potest esse vera Christi Ecclesia, cum in Africa tantum existat ⁽³⁾.

Quomodo tamen catholicitas Ecclesiae salvaretur, si maior pars fidelium ab ea deficeret, immo si Ecclesia (quod absurdum forsitan non est) ad unam provinciam restringeretur?

Respondet M. Cano (*De locis theologicis*, 4, 6, ad 13): "Satis est Ecclesiam semel in toto mundo esse fusam, ut etiam tum vere catholica dicatur. Nempe eadem Ecclesia est, eandemque fidem tenet, quam apostoli in universa terra vulgarent". Similiter S. Robertus Bellarminus (*De notis Ecclesiae*, 4, 7).

Alii respondent, hypothesim fidem christianam tali modo decrescere esse impossibilem.

Alii loquuntur de universalitate spirituali Ecclesiae seu de universalitate iuris, quae nunquam deerit, et ex qua resultat universalitas extensionis, quae tamen deficere posset.

Ad quaestionem solvendam recurrendum est ad significationem originalem vocis καθολικός. Ad rem est textus S. Irenaei (*Adversus haereseas*,

3, 11, 8): "Quoniam enim quattuor regiones mundi sunt, in quo sumus, et quattuor principales spiritus (καθολικα πνεύματα) et disseminata est Ecclesia super omnem terram, columna autem et firmamentum Ecclesiae est Evangelium et Spiritus vitae, consequens est, quattuor eam habere columnas undique flantes incorruptibilitatem et vivificantes homines.... Et propter hoc quattuor data sunt testamenta catholica (καθολικαι διαθηκαι) humano generi". Catholicus videtur hic significare id, quod totam speciem replet; praeter id, quod catholicum nominatur, aliud huius speciei non datur.

Notio composita "Ecclesia catholica" prima vice adhibetur a S. Ignatio in Ep. ad Smyrnenses (8, 2): "Ubi comparuerit episcopus, ibi et multitudo sit, quemadmodum ubi fuerit Christus Jesus, ibi catholica est Ecclesia". Cf. inscriptionem Martyrii S. Polycarpi: "... omnibus ubique terrarum sanctae et catholicae Ecclesiae paroeciis". Terminus "Ecclesia catholica" primarie videtur hic significare Ecclesiam unice veram, unicam, quae omnibus patet. Unde significatio originalis sic explicari potest: Ecclesia catholica est Ecclesia, quae pro omnibus ut unica societas salutis existit; praeter eam alia non datur, et omnes homines eam sequi tenentur.

Ex hac significatione fundamentali alia, exprimens universalitatem extensionis, originem duxit, quia de facto omnes gentes vel credentes ex omnibus gentibus ad Ecclesiam pervenerunt. Per hanc universalitatem ad extra se manifestat Ecclesiae catholicitas, quam nunquam amittere potest.



2. De Ecclesiae ad societatem civilem relationibus ⁽⁴⁾

Ecclesia universalis et visibilis, monarchice gubernata, relationem ad societatem civilem necessario habet; multa enim Ecclesiae praecepta vitam socialem et practicam tangunt.

Intendens omnes homines ad unitatem regni Dei colligere, Ecclesia plurimum impeditur per maximas diversitates nationum et populorum, quae unitati hominum obsunt ⁽⁵⁾.

Constitutio imperii alicuius universalis, in quo perfecta unitas generis humani, per peccatum amissa, restitueretur, est impossibilis et contra Dei voluntatem. Est impossibilis, quia exigeret destrui proprietates nationales multarum gentium; est contra Dei voluntatem, quia Deus hanc unitatem ut gratiam specialem regni Dei hominibus est collaturus. Haec gratia in unitate Ecclesiae quodammodo iam possidetur ⁽⁶⁾. Unde genus humanum in duas dividitur civitates: Dei nempe et mundi huius, quarum prima fideles, altera infideles omnium temporum continet ⁽⁷⁾.

Ex dictis relationes Ecclesiae, in qua unitas generis humani quodammodo iam reparatur et homines ad civitatem Dei coguntur, ad societatem civilem diiudicari debent.

Recentiores Romani Pontifices (imprimis Leo XIII in Litteris encyclicis "Immortale Dei") relationes inter Ecclesiam et societatem civilem sequenti modo magis determinant:

1. Ecclesia et societas civilis non sunt separandae; "constat quippe, pertimesci ab impudentissimae libertatis amatoribus concordiam illam, quae semper rei et sacrae et civili fausta exstitit et salutaris" (Dz 1867). Unde maxime in rebus mixti iuris concordia est appetenda (Dz 1870).

2. Status non est omnium iurium origo et fons, unde nec pollet iure nullis limitibus circumscripto (Dz 1739).

3. "Quidquid igitur est in rebus humanis quoquo modo sacrum, quidquid ad salutem animorum cultumve Dei pertinet..., id est omne in potestate arbitrioque Ecclesiae; cetera vero, quae civile et politicum genus complectitur, rectum est civili auctoritati esse subiecta" (Dz 1866).

4. "Nulla per se reprehenditur ex variis reipublicae formis, ut quae nihil habent, quod doctrinae catholicae repugnet, eademque possunt, si sapienter adhibeantur, et iuste in optimo statu tueri civitatem" (Dz 1871).

P. Anselmus Stolz OSB



De Ecclesia. Auctore Anselmo Stolz O. S. B., Friburgi Brisgoviae MCMXXXIX (1939). HERDER & CO., TYPOGRAPHI EDITORES PONTIFICII, pp. 55-57. (*Manuale Theologiae Dogmaticae.* Auctoribus Anselmo Stolz O. S. B. et Hermanno Keller O. S. B., Fasciculus VII. *De Ecclesia*). (a)

Notae:


(1) J. A. Möhler, *Die Einheit der Kirche und das Prinzip des Katholizismus* (1825); O. Rottmanner, *Catholica*, in: "Revue Bénédictine", 1900, 1 sqq.; De Poulpiquet, *Essai sur la notion de catholicité*, in: "Revue des sciences philosophiques et théologiques", 1909, 19; Fr. Heiler, *Urkirche und Ostkirche* (1937) 1-19.

(2) M.Cano, *De locis theologicis*, 4, 6, ad 13. Cf. *Dict. apolog.*, I, 1285.

(3) Fr. Hofmann, *Kirchenbegriff*, 199 sq.

- (4) L. Billot, *Tractatus de Ecclesia Christi. II: De habitudine Ecclesiae ad civilem societatem* (1922).
- (5) A. Stolz, *Theologie der Sprache*, in: "Benediktinische Monatschrift", 1935, 121 sqq.; "La Vie spirituelle", 1937, (86) sqq.
- (6) S. Augustinus, de dono linguarum disserens, ait: "Unus homo signum erat unitatis; omnes linguae in uno homine, omnes gentes in unitate" (Serm. 266, 2). Unde et frequens oppositio inter narrationem turris babilonicae et miraculum linguarum diei Pentecostes, v. g. Serm. 271.
- (7) S. Augustinus, *De civitate Dei*, 15, 1, 1; Hofmann, 487, 492.
- (a) Cf. 1) P. Anselmus Stolz OSB, [*Manuale Theologiae Dogmaticae. – De Ecclesia.*](#)
- 2) Pius Papa XII, [*Litterae encyclicae "Mystici Corporis Christi". De Mystico Iesu Christi Corpore deque nostra in eo cum Christo coniunctione. \(Encyklika "Mystici Corporis Christi". O Mistycznym Ciele Chrystusa\).*](#)
- 3) Acta et decreta sacrosancti oecumenici Concilii Vaticani (1870), [*Primum Schema Constitutionis dogmaticae de Ecclesia Christi Patrum examini propositum.*](#)
- 4) Themata dogmatica Concilii Vaticani. Votum P. Ioannis Perrone e Societate Iesu, [*De Ecclesia eiusque iuribus.*](#)
- 5) S. Cyprianus Episcopus Carthaginensis, [*De Catholicae Ecclesiae unitate.*](#)
- 6) P. Christianus Pesch SI, a) [*Praelectiones dogmaticae. De ecclesia, corpore Christi mystico.*](#) b) [*Compendium Theologiae dogmaticae.*](#) c) [*De membris Ecclesiae.*](#)
- 7) Sac. Josephus Papp-Szilágyi de Illyésfalva, [*De electione Romani Pontificis.*](#)
- 8) D. Henricus Maria Pezzani, [*Codex Sanctae Catholicae Romanae Ecclesiae. Can. 26. Devius a fide catholica, haereticus, vel schismaticus eligi prohibetur in Romanum Pontificem: si eligatur nulla est electio \(Kodeks Świętego Katolickiego Kościoła Rzymskiego. Kanon 26. Zakazany jest wybór na Papieża tego, kto odstąpił od wiary katolickiej, heretyka lub schizmatyka; jeśli ktoś taki zostanie wybrany, wybór jest nieważny\).*](#)
- 9) P. Timotheus Zapelena SI, [*De Ecclesia Christi. Pars apologetica. Thesis IX. E Christi ipsius institutione Petrus habebit successores in primatu ad finem usque saeculorum.*](#)
- 10) S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, Ordinis Praedicatorum, [*Summa Theologica. Num Papa mortuo remaneat ejus potestas. – Ad quos electio Summi Pontificis pertinet.*](#)
- 11) Albertus Nègre, Archiepiscopus Turonensis, Sacrae Theologiae Doctor, [*Cursus Theologiae Dogmaticae. De Romani Pontificis infallibili magisterio.*](#)
- 12) Sac. Petrus Semenenko CR, [*Papa semper idem sit formaliter qui et materialiter \(Papież zawsze ten sam jest formalnie, co i materialnie\).*](#)
- 13) P. Parthenius Minges OFM, a) [*Compendium theologiae dogmaticae generalis.*](#) b) [*Compendium theologiae dogmaticae specialis.*](#) c) [*Ecclesia est infallibilis.*](#) d) [*De religione judaica postchristiana.*](#) e) [*Falsa systemata de relatione inter fidem et rationem. Modernismus.*](#)
- 14) Sac. Constantinus Joannes Vidmar, [*Compendium repetitorium Theologiae dogmaticae tum generalis cum specialis.*](#)

- 15) S. Alphonsus Maria de Liguorio, Ecclesiae Doctor, [*Opera dogmatica.*](#)
- 16) P. Ferdinandus Cavallera SI, [*Thesaurus doctrinae catholicae ex documentis Magisterii ecclesiastici.*](#)
- 17) P. Fr. Carolus Thil OESA, *Exercitatio theologica de locis, seu fontibus Theologiae Christianae. De Ecclesia Christi.* a) [*De summa Catholicae Doctrinae circa veram Christi Ecclesiam.*](#) b) [*De Notis verae Ecclesiae Christi. Propositio IV. Nota quarta distinctiva verae Ecclesiae, est, quod sit Apostolica primo ratione doctrinae, et secundo ratione suae originis, id est in perpetua, et non interrupta Pastorum suorum successione ab Apostolis.*](#)
- 18) Sac. F. H. Reinerding, a) [*De iis, qui auctoritati Ecclesiae obluantur.*](#) b) [*De necessitate Ecclesiae ad salutem.*](#)
- 19) P. Dominicus M. Prümmer OP, [*Manuale iuris canonici in usum scholarum.*](#)
(Nota ab ed. *Ultra montes*).



Conspectus materiae.

	pag.
Introductio	I
Caput I.	
Regnum Dei et Ecclesia Christi	
A. Regnum Dei in Vetere Testamento	3
B. Regnum Dei a Ioanne Baptista et Christo praedicatum	5
C. Conclusiones naturam Ecclesiae respicientes	6
	8
Caput II.	
De natura Ecclesiae	
A. „Credo in sanctam Ecclesiam“	10
B. Sacramentum Ecclesiae	10
C. Corpus Christi	14
D. „Credo in sanctorum communionem“	16
	23
Caput III.	
De membris et hierarchia Ecclesiae	
A. De membris Ecclesiae	27
<i>Scholion</i> : Extra Ecclesiam nulla salus	27
B. De hierarchia ecclesiastica	34
	36
Caput IV.	
Ecclesia magistra fidei	
A. Subiecta magisterii Ecclesiae	40
B. Obiecta magisterii Ecclesiae	41
<i>Scholion</i> : De auctoritate Congregationum Romanarum et de censuris theologicis	48
	53
Caput V.	
De civitate Dei	
1. De Ecclesiae catholicitate	55
2. De Ecclesiae ad societatem civilem relationibus	55
	56



([HTM](#))